

mini rerum , quos verò hæredes reliquerunt , concipiendi sunt ut procuratores in rem suam. (3.) Tertius acquirendi juris modus est *Possessio* rei nullius , animo impofterum quoque possidendi. Ex quo jus impofterum quoque possidendi tractandique oritur , quod est reale. (4.) *Conventio*, velut traditio incorporalis , per signa rei æquipollentia, seu verba, quò pertinet, quicquid ex Jure Civili seu Lege descendit, ut Criminalia & Processus. Potest tamen conventio reduci non solùm ad possessionem, sed & ad injuriam, quia fallere est damnum animo dare. (5.) *Injuria*, velut ruptio societatis humanæ in statu merè naturali omne jus mutuò tollens, imò alteri in alterum resque ejus jus absolutum tribuens , quod tamen in Republica legibus est restrictum.

§.20. Causæ autem Juris in uno sunt modi amittendi Juris in alio , seu acquirendæ obligationis. Modi autem amittendæ obligationis , sunt causæ re-

C 5                      cupe-